

Cor. III. Apostoli forinsecus, Deus operabatur intrinsecus, unde *Dei adiutores* se suosque vocat. Ibidem apostolus, Deus igitur principalis agens est.

Ergo si quis sentit moveri, ad se audiendum, credendum et faciendum Dei verbum, Deo gratias agat: quia non nihil sumus, qui plantamus et rigamus. Si quis autem non sentit, is ad Deum recurat, qui habet claves cordium: *Aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit*, ut scribit S. Joannes, Apoc. III. siquidem etiam auditores cooptari debent per liberum arbitrium et orationem aliaque media, quibus gratia illa impetratur.

VII. Cur subinde variis in locis edere voluit Deus miracula? Resp. primo, ut suam presentiam et providentiam mortalibus declaret. Si enim nihil unquam supra naturae vires eveniret, facile sibi persuaderent homines nullum esse numen, cui res humanae curae sint; sed omnia quodam naturae impulsu fieri. Prodit se quidem in rerum omnium mira conservatione, caelorum motu, corporum fabrica, etc. sed pauci tamen eam mirantur, pauci in illis Deum intuentur. Debent ergo homines subinde ad hoc excitari per rara quaedam opera naturae vires excedentia. Secundo, ut hominum animi etiam in aliis fidei capitibus confirmentur, omni prorsus dubitatione abstersa; et ut illis rite, debitaque cum reverentia utantur. Sic multa facta sunt per eucharistiam, baptismum, extremam unctionem, ordinem, invocationem sanctorum, etc. vel horum occasione, nimirum ut homines intelligerent, quod loco ista sint habenda, qua reverentia usurpanda. Tertio, ut doctrinam eorum, per quos ista facit, et vi-

tam nobis commendat. Sunt enim miracula divina quaedam testimonia tum veritatis doctrinae, tunc sanctitatis vitae, praesertim si vita conformis doctrinae. Quarto, ut sanctos suos hoc modo honoret. Nihil enim est, quod ita celebres faciat viros sanctos per orbem, et populos ad eorum amorem, cultum et imitationem excitet, ut miraculorum effectio. Sicut enim Deus vult se amari ab hominibus supra omnia, proximum autem non supra omnia, sed in suo gradu, propter Deum: ita vult ipse se coli supra omnia, nimirum tamquam primam omnium causam effectricem et ultimum finem; sanctos autem non hoc modo, sed in suo gradu, et propter respectum quem habent ad Deum tamquam filios adoptivos, participes regni, amicos charissimos, etc. Unde nulla hic umbra idololatriae, ut haeretici calumniantur. Nam per idololatriam supremus honor, quo nimirum aliquid aestimatur et colitur tamquam numen et primum principium, impenditur: hoc autem modo non coluntur sancti. Quinto, ut occasione beneficiorum corporalium, quae populus sperat obtinere, excitetur ad penitentiam et vitae emendationem. Ubi enim miracula fiunt, saepe multa hominum magnis sceleribus inquinatorum milia confluent: qui ibidem gravi praeterita vitae concepto dolore, suisque peccatis salutari confessione expiatis, seriam vitae emendationem suscipiunt; sicque fit ut multa milia hac ratione salventur, qui alioquin erant perituri. Denique, per miracula omnes excitantur ad reverentiam et laudem numinis, ad gratiarum actionem, et gaudium spirituale; omnium animi eriguntur, et bonam spem adfuturi auxilii in afflictione concipiunt. Ita fere Lessius, de provid. divin.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

GAUDENDUM NOBIS DE ASCENSIONE CHRISTI.

I. Quia Dominus noster tam gloriosus ascendit in caelum. — II. Quia nos cum illo ascendimus in spe. — III. Quia jam perfectius adherere possumus Christo. — IV. Quia jam mercedem nobis promissam cernimus. — V. Quia exinde cepimus mortem non timere.

THEMA.

Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in caelum. Marc. ult.

Quid est auditores, quod hodie post cantatum evangelium, cerei paschalis, qui a paschate usque

huc per integrum officium ardere solebat, lumen extinctum fit? An fortassis indicat, lumen nostrorum oculorum, Christum hodie per ascensum in caelum ab oculis nostris subtractum? Ita omnino. Sic enim evangelium praedictum loquitur ad finem: *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis assumptus est in caelum.* At vero verbum istud, et haec cerei extinctio tristitia nobis nova, non laeta videntur annuntiare, quasi nobis dicant: Dominus quidem Jesus subtractus est a vobis in caelum, et lumen oculorum vestrorum extinctum est: vos igitur ferricolae in tenebris jam sedetis. Quae ergo nobis causa laetitiae hodierna die? Et qua ratione S. Leo papa, ser. 1. in hod. festum vult: *Ut dignis exultemus gaudiis,*

et pia gratiarum actione laetemur? Videtur enim nobis dicere, quod angelus Raphael excacato Tobiae dixit: *Gaudium tibi sit semper*, cui Tobias: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen caeli non video?* Tobiae III. Quomodo nos gaudebimus qui lumine caeli et terrae, Christum jam non amplius videmus? Verum auditores nihil istud obstat, quominus hodie dignis exultemus gaudiis; quando et S. Lucas, cap. ultimo asserit discipulos Christi a spectaculo ascensionis ejus cum gaudio, et quidem magno regressos esse in Jerusalem. Superest ergo videre, quibus rationibus gaudere de ascensione Domini possimus.

I. Quia hodie Dominus noster tam glorioso triumpho ascendit in caeleste regnum suum. Scimus jam cui credamus, quantus ille et quam potens Dominus sit, caeli nimirum et terrae monarcha; prout etiam Sanctus Paulus, II. Timoth. 1. ait: *Scio cui credidi, etc.* Quis autem servus non gratulatur sibi, cum videt suum dominum ad summa evectum imperia? Vidimus quidem eum cum in terris degeret, omni sapientia et virtute praeditum, sed interim vili habitu et aspectu spretum a Judaeis, velut reum accusatum; quod se regem fingeret, illisum ab Herode, derisum etiam a Pilato dicente: *Ergo rex es tu?* quasi diceret: Tu homo tam inops, miser, vilis? At vero hodie ostendit se revera regem esse, nec quales sunt reges hujus saeculi, mortales, terreni, angusti, miseris subjecti, etc. sed immortalem, aeternum, universalem, omnibus imperantem, caelestem. Quis unquam nubibus imperavit? Quis in caelum visibiliter ascendit? Quis ibi thronum suum posuit, nisi Christus Dominus noster et quem ibi jam timere potest? Imo quis ipsum non timere debet? Quis in caelum jaculari potest, et in quem ipse de caelo jaculari non potest? Cum quis princeps evehitur ad imperatoriam dignitatem, evehuntur simul et aulici ejus, quia majora acquirunt stipendia, titulos, respectus, honores. Certe sub Henrico III. imperatore Moguntiae pentecosten celebrante, famuli Moguntini episcopi et Fuldensis abbatis in templo usque ad caedes et sanguinem digladiati sunt pro honore et praecedentia suorum dominorum, Naucl. vol. II. gener. XXXVI. ut nimirum per heros etiam ipsi ministri magis coruscarent. Quid ergo non speramus nos a Domino nostro, evecto super omnes caelos et super omnem potestatem? Accedit quod non tantum servi, sed et fratres ejus sumus, sic ab ipso appellati Joan. XX. *Vade ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad Patrem necum et patrem vestrum.* Scimus quanto gaudio perflusus sit patriarcha Jacob, quando audiit filium suum Joseph non solum vivere, sed domi-

nari velut principem toti Aegypto. Revixit enim spiritus ejus, et dixit: *Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit*, Genes. XLV. quasi dicat: Jam nihil est, quod ulterius petam, hoc mihi instar omnium est, nec minus gaudere fratres ejus potuerunt, quando ab eo audierunt: *Quia omnes opes Aegypti vestrae erunt*, eodem cap. Non poterat Joseph patri suo jam seniculo nisi ab breve tempus benefacere, multo minus vitam prorogare: nec fratribus nisi terrena bona conferre; quia non caelo sed terrae, ejusque angustiae imperabat. At vero frater noster primogenitus, qui jam caelo et terrae imperat, vitam nobis omni ex parte beatam conferre potest. Sufficit ergo nobis, quod ipse in caelo regnet: quomodo enim fratribus suis non communicabit regnum suum: ipsi data est omnis potestas in caelo et in terra. In ejus vestimento (id est, sanctis et sobole, ut explicat Sanctus Ambrosius, Gregorius et alii) scriptum est: *Rex regum et Dominus dominantium*, Apocal. XIX. quia filios suos faciet reges, qui per vestimentum designatur juxta id Isa. XLIX. *Omnibus his velut vestimento vestieris.* Perfectius tamen erit hoc gaudium, si mere et praecise gaudeamus propter Christi gloriam, quam jure merito sustulit post tot iniquissima Judaeorum opprobria et odia; quando videmus jam gloriosa ejus ascensione confusos esse Judaeos, qui illum in medio sublatum et erasum de terra viderant. Clamaverant illi: *Videamus si veniat Elias liberans illum: et: Si Filius Dei est, descendat de cruce.* Sed videte jam Judaei, non liberatum ab Elia, sed gloriosius ascendentem in caelum, quam curru igneo raptus sit Elias. Hinc enim non in caelum, sed alio; non suis sed alienis viribus, abreptus est: Christus propria virtute ascendit in caelum. Videte non jam descendentem de cruce, quod aliquis Samsón aut Milo potuisset, sed gradientem in multitudine virtutis suae per nubes ad caelum.

II. Quia et nos una cum illo in caelum ascendimus. Siquidem ipse omnium electorum nomine, velut eorum legatus et princeps hodie caeli arcem occupavit, ut eam successu temporum subsecuturis custodiret. Ita enim ipse praedixit Joan. XLIV. *Vado parare vobis locum: et: Si abiero et preparavero vobis locum, iterum veniam et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego et vos sitis.* Accedit apostolus ad Ephesios II. *Consedere nos fecit in Christo in caelestibus: nos adhuc viventes in spe, mortuos electos in re.* Et Sanctus Leo, sermone primo de ascensione: *Hodie non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam caelorum in Christo superna penetravimus.* » Quando Dominus aliquis praemittit servum suum in templum, ut ipsi sedem aliquam occupet brevi secuturo, vere dicere potest, se illi

templo sedem habere. Quando exercitus oppugnans civitatem videt jam ducem suum cum multis aliis commilitonibus stantem supra muros et vexillum agitantem, etiam qui adhuc foris pugnant se vicisse et civitatem expugnasse clamant. Scimus jam ducem nostrum cœli mœnia conscendisse, et post illum tot milliones sanctorum subsecutos esse, cur igitur non dicamus nos cœlum occupasse? Pugnandum quidem nobis, qui adhuc in terra sumus; sed confidimus nos cum duce nostro brevi ibi futuros, ubi ipse est. Godefridus Bullionius ubi primus feria sexta et hora nona, qua Christus passus fuerat, muros Jerosolymæ conscendit, reliquo exercitui suo portas urbis aperuit, eumque intromisit. Viderat is paulo ante, cum ab assultu repulsus esset et fatigato militi quietem dedisset, hominem ignotum supra montem Oliveti clypeum agitantem, eoque signo monentem, ut nostri resumtis animis denuo assultum facerent, fore ut jam urbe potirentur; uti factum. Christus jam in cœlo quasi clypeum agit et nos ad pugnam adhortatur. Quis non bene speret de victoria obtinenda? Ac licet pugna hæc difficultate non careat, et subinde succumbamus, non tamen animus despondendus, sed potius redintegrandum prælium, et si primo assultu non vicimus, vincemus secundo: si secundus non successit, succedet tertius.

III. Quia jam perfectius Christo adherere possumus, quam si in terris visibiliter nobiscum permansisset. Hac enim de causa putant Sanctus Augustinus, trac. XIII. in Joannem; Gregorius, VIII. moralium, cap. XCIV. et Bernardus Christum dixisse, Joannis XVI. *Expedi vobis ut ego vadam*, scilicet in cœlum; quia apostoli dum præsentem carnebant, Christi humanitatem, ei soli inhærebant ob præclarissimas virtutes in ea resplendentes: cum tamen inde ad divinitatem ejus transire, eique potissimum per amorem adherere debuissent. Quo etiam sensu Sanctus Leo, serm. II. de ascensione vult dixisse Christum Magdalene: « Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, hoc est, inquit, nolo ut ad me corporaliter venias, nec ut me sensu carnis cognoscas. Ad sublimiora te differo, majora tibi præparo: cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectius veriusque palpabis, apprehensura quod non tangis, et creditura quod non cernis. » Hac de causa etiam sponsa, postquam diu sponsum quævisset sollicite, cumque eo dulcissime conversata fuisset, et extremum ita claudit totam conversationem suam, Cantic. ultimo: *Fuge dilecte mi, assimilare capræ hinnuloque cervorum super montes aromatum*. Cur ad extremum fugere jubes, quem tot suspiriis quævisisti? Quia ejus absentia utilior ei, quam præ-

sentia erat. Quod si visibilis Christi præsentia et cum apostolis conversatio impedimentum aliquod perfectionis erat, fuissetque nobis, si nobiscum in terris visibilis remansisset, quid erit conversatio periculosa et familiaris nimis cum creaturis, mentem ad se rapientibus et a Deo prorsus avocantibus? Cum creaturis illecebrosis, cum hominibus perversis? Quomodo illi poterunt Deum sincere diligere, qui amore implicantur liberorum, pecuniarum, voluptatum, honorum? Accedit quod majoris meriti sit in Christum, quem non videmus, credere, eumque diligere, quam si in terris nobiscum remansisset, ut dixit supra Sanctus Leo: *Beati enim (magis) qui non viderunt et crediderunt*. Plus namque honoramus virum gravem, si nudis ejus verbis fidem demus, quam si ea, quæ dixit, ad oculum nobis demonstrari petamus. Hoc est quod extollit Sanctus Petrus, epist. 1. cap. 1. Illis verbis: *Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque videntes creditis*. In quem locum Oecumenius ait: « Si enim oculis carnis ipsum non intuiti, ex sola auditione amatis, considerate, quantum amorem, ubi cum videritis, præ vobis feretis: præsertim cum in gloria vobis revelabitur. Si enim passio ejus ita vos attraxit, quando vobis in splendore insuperabili apparebit, quem in modum animum vestrum affecturus est? »

IV. Quia jam finem laborum nostrorum et mercedem nobis promissam, quæ est ascensus in cœlum, similis consensui Christi, quasi a longe aspiciamus. Idcirco enim ipse videntibus discipulis ascendit; idcirco vestigia sua loco, unde ascendit, impressa reliquit; idcirco viam, qua per aerem ascendit claudi nunquam permisit, ut scribit Sanctus Hieronymus, de locis Hebræis ex Actis apostolorum. Ecce enim Christus, qui in hoc mundo asperam, pauperem et laboribus plenam vitam egit, quam gloriosum finem sortitus est! Bene veteres virtutem per palmam expressere; quia infra scabra et ascensu perdifficilis est: superne vero speciosa, dilatans comas et ramos suos. Talis fuit vita Christi, prius spinosa et nuda in terris, postea gloriosa in cœlis. Unde ait Canticorum VII. *Ascendam in palmam et apprehendam fructus ejus*. Felices ergo sunt, qui Christum imitantes, duram ac laboriosam virtutis viam sectantur; quia in fine vitæ gloriosam ejus mercedem invenient. Solent chiro-mantici ex manuum lineamentis divinare, quid cuique eventurum sit. Ausim et ego non temere divinare vobis auditores, qualem aliquando vitæ clausulam sortituri sitis, si inspexero manus vestras. Qua ratione dicetis? Si piis et sanctis laboribus attritas habueritis, gloriosi aliquando cum Christo duce vestro ad cœlum ascendetis: sin vero delicatas et his laboribus inassuetas,

cœlo excludemini. Olim candidatus quidam Scipio Nasica in ædilitatis petitione adolescentulus cum competitore descenderat; hujus ergo manus cum rustico opere duratas et callosas tetigisset, interrogavit, num manibus ambulare consuevisset. Quod ut populo innotuit, repulsam Scipio passus est, quod ipse delicatulus hominem agricolam sprevisse visus esset, Valerius, libro VII. capite V. Non aliter contigit ei, qui molles et operibus insuetas demonstravit manus in mortis articulo; repulsam enim patietur. Qui vero callosas produxerit, gloria celesti dignior censebitur: quo videtur spectare illud Eliu: *Deus in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua*, Job XXXVII.

V. Quia ex tempore cœpimus mortem non metuere, sed potius desiderare, ut cum Christo simus ubi est ipse in cœlo. Si in terris remansisset, cum ipso hic manere cuperemus, mori nemo vellet: ac quia nunc per mortem ad ipsum imus, quis mori trepidat? Eo igitur anhelabat, eo suspirabat toties Paulus dicens: *Desiderium habeo dissolvi et esse cum Christo*: et iterum: *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Similiter Joannes apost. ait: *Veni Domine Jesu*, Apocalyp. ult. Ejus discipulus S. Ignat. ad leones pergens: *Tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruam*. Soli improbi mortem timent, qui non sciunt, vel non amant Christum. Jacob quando audiit filium suum Joseph dominantem in Ægypto, sine mora terram, domum et fundos suos hilariter deseruit, ut videret filium: *Vadam et videbo filium meum*. Et ubi eum vidit: *Jam lætus*, inquit, *moriar*, Genes. XLVI. Nos qui scimus Christum dominari in toto cœlo, quomodo non libenter derelicto mundo dicemus: *Jam lætus morior?* Ad ipsum enim pergimus: ipse locum in cœlo omniaque bona nobis jam paravit. S. Guthbert. epis. Lindisfarnensis, ut scribit venerabilis Beda, in ejus vita, c. XII. cum aliquando in longinquo itinere non haberet diversorium, ubi maneret et reficeretur cum comite sollicito de hospitio et refectione, jussit illum bono animo esse, rursus aspiciens dixit: *Vides aquilam illam in altum volantem? Illa nobis hospitii præbebit officium*, mox in flumen devolans aquila, captum piscem permisit Guthberto et socio. Longinquo itinere ad cœlum imus, verum si Christi servi sumus, de hospitio ne solliciti simus. Vides Christum in cœlum volantem? Ille nobis hospitium et cibum parabit: ille hospitii officium exhibebit: *Amen dico vobis, quia accinget se, et faciet nos discumbere, et transiens ministrabit nobis*. Jam nunc hoc obsequium præstat sanctis, qui sunt in cœlo: jam cum illis nuptiale suum convivium celebrat. Igitur: *Gaudeamus et exulte-*

mus, demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, Apoc. XIX.

CONCIO II.

DESIDERIUM ASCENDENDI IN COELUM EXCITATUR.
I. Ex aspectu cœli.—II. Ex celestium honorum copia promissa.—III. Ex jure patriæ ut municipatus nostri.—IV. Ex Christi videndi desiderio.

THEMA.

Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum.

Act. 1.

Excogitarunt mathematici (Cardanus, lib. XVII. de subtilitate rerum, pag. DCCCLXXII.) tale instrumentum, quo seipsum quis trahere sursum in quamcumque altitudinem turrim potest, fune superne ad trochleam appenso, et ex adversa funis parte pondere paulo levioere, quam sit ipse homo, alligato. Nemo Christianorum esse debet, qui non summis votis desideret post Christum Dominum redemptorem nostrum ad cœlos ascendere. Qui enim hoc non desideret, civis cœli non est, cœloque indignus est, ut qui luculentum dat indicium se huic terræ affixum atque addictum esse et cœlestia non curare. Sed quo instrumento, dicit aliquis, qua machina, quibus funibus ad cœli desiderium nos elibrabimus? Funiculis utemur, de quibus Osee XI. ait Dominus: *In funiculis Adam traham eos*. Hi, indicio meo, fuerunt frequentes, imo juges meditationes præsentis exilii, in quod ejectus erat Adam, et possessi prius paradisi, in quo omnibus deliciis circumfluebat, quæ utique Adamum traxerunt ad penitentiam et cœlestis patriæ desiderium. His ergo funiculis Adami et nos utemur, ut spreto hoc exilio in patriam aspiremus. Atque imprimis trahit nos:

I. Cœli ipsius aspectus, quod haud dubie idcirco Deus in conspectu nostro posuit, et tam pulchris exornavit luminibus, ut eo aspiremus, ejusque consideratione terram velut luteam despiciamus, quo modo merces peregrinæ et pretiosæ idcirco in foro omnibus spectandæ proponuntur, ut emanent. Ibi ergo regio amplissima et pene immensa: hic qui nisi maximæ angustiae? Ecce enim tot undequaque lites propter unum agrum ac fere unum cespitem, nisi quia sumus vasa, quæ faciunt sibi invicem angustias, (ait S. August. serm. X. de verb. Domini) quomodo in domo figuli, ubi unum alteri incumbens id premit et confringit. Hinc necesse ut bella, fames, pestes subinde stragem hominum edant, tametsi miserabilem ut cæteri unde vivant habent. Quoties contingit, ut quis ex una domo in aliam migret, solum quia illius angustias terre non potest? Terra hæc angustissima

est, cœlum autem amplissimum. Audi testem Baruch: *O Israel quam magna est domus Domini!* cap. III. Ibi regio semper lucidissima, nullas unquam admittens tenebras, quia: *Civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam et lucerna ejus est Agnus,* inquit Joan. Apoc. XXI. Non ergo lux ibi morti et vicissitudini obnoxia, qualis est solis et lunæ, sed stabilis et perpetua. Claritas Dei quasi sol, humanitas Christi quasi luna est. Hic noctem luminibus illustrare, de die etiam perspicillis non rare uti cogimur; interim adhuc in quam plurimis cœcūtimus. Nihil horum ibi necessarium. Jam si in domo lucida cupimus habitare, ad cœlum aspiremus. Ita David, Psalmo CXIX. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar,* hoc est, in tenebris, præsertim intellectus. Ibi regio est stabilissima, quemadmodum et ipsum cœlum solidissimum, motum habens stabilissimum, a tot sæculis invariatur, et ne una quidem stellula immutatum. Unde bene Joannes, loc. cit. de ipso ait: *Civitas in quadro* (quæ est figura stabilissima) *posita est:* et qualis est structura, talia sunt et cætera bona in ea contenta. Unde exclamat August. in soliloquiis, c. XXXV. « O regnum beatitudinis sempiternæ, ubi juvenus nunquam senescit: ubi decor nunquam pallescit: ubi amor nunquam tepescit: ubi sanitas nunquam marcescit: ubi gaudium nunquam decrescit: ubi vita terminum nescit! » Hic quid stabile habemus? Domus nostræ terreae, corpora terrena, substantia terrena est, et cum partis bonis frui volumus, cogimur migrare. Jam si e domo ruinosa fugiunt mures et hirundines, teste Solino et Plinio, l. X. c. XXIII. quis non libenter emigret e mundo hoc, ruinas undique minant? Ibi regio pacatissima, quam nullus ingredi inimicus, nullus turbare casus, nullus infestare hostis potest. Quod indicavit Dominus, cum post resurrectionem discipulis in mari fluctuantibus ipse in littore stetit, Joan. XXI. Hic quasi in mari, perpetuis tempestatibus, tentationum et persecutionum fluctibus jactamur: jam hinc, jam illinc lacessimur et velliamur: nihil horum ibi; sed pax summa quies. Nemo libenter incolit domum tumultuosam, aut tempestatibus, ventis imbribus, nivibus perviam. Terra talis est, cœlum vero neutiquam.

II. Eo trahunt nos cœlestium bonorum affluentia, quæ in cor hominis non ascenderunt: de quibus id unum in præsens sufficere potest, quod ait S. Aug. l. III. de lib. arbit. c. XXV. « Tanta est jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora; propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et circumstantia

temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. Non enim falso ac parvo affectu dictum est: *Melior est dies una in atris tuis super millia.* » Psal. LXXXIII. S. Nicol. Tolentinas exiguum aliquem prægustum cœlestium gaudiorum hausit in terra; nam: *Ante suam obitum mensibus sex qualibet nocte ante preces nocturnas auribus suis cantiones audivit angelicas longe suavissimas, adeoque delectabiles, ut diceret: Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Ita auctor vitæ, apud Sur. 10. sept. Quid erunt reliqua gaudia et bona illius patriæ? At vero in hoc mundo quæ gaudia? Nonne inana omnia, impura et fugacia sunt? Quanta bonorum indigentia? Alius vellet hæc et hæc, et non habet unde emat: alius habet pecuniam, et non invenit, quod emere cupit. Vulgo dicitur Norimbergæ reperiri omnia venalia. Sed quam vane? Ubi illic medicamentum contra lepram, podagram, mortem? Ubi divitiæ et deliciæ Indorum, apparatus Persici, etc. In cœlo sunt omnia et prostant gratis, sine pretio.

III. Eo trahit patria nostra, ad quam inhabitandam creati et vocati sumus. Quis autem est in exilio vel peregrino solo, qui patriam non desideret? Præsertim si cui extra male est. Bestiæ ad nativas suas latebras recurrunt: avicula suos nidos repetunt, et si capiuntur, innatam sibi libertatem quarunt inquietæ semper in caveis. Ad sua contra elementa magno impetu revertuntur: ad mare flumina veluti ad fontem. Atqui animus noster e cœlo oriundus, in terra inquilinus est. Quinetiam si cui extra patriam bene est, patria tamen optatior est, uti docet Adam ille Idumæus e regio semine adolescens, qui Joabi metu profugus in Egyptum, cum ibidem a Pharaone blandissime haberetur, ubi inaudit patriam suam jam hostili metu liberatam, omnibus modis institit apud regem, ut redire sibi in patriam liceret; neque ab hoc desiderio valere eum retrahere omnes Egypti deliciæ ac regis blanditiæ, III. Reg. XI. Quæ igitur ratione fieri potest, ut homo non aspiret, non totis artibus anhelet ad cœlestem suam patriam, qui in hoc exilio tam male habetur? Tam varie affligitur? Quis enim hic sua sorte ita contentus est, ut non aliam desideret meliorem?

IV. Eo trahit summus noster thesaurarius et deliciæ orbis Christus Dominus noster; ubi est enim thesaurus noster, ibi et cor ac desiderium nostrum. Defer alicujus avari thesaurum et sepeli in agrum, ibi habebit cor et cogitationes suas; defer inde in curiam, illa etiam convertet cor suum, non secus ac magnetica acus convertit se ad ferrum, quocumque loco id ponatur. Jam vero thesaurus noster Christus ubi

nisi in cœlo est? Et propterea in conspectu suorum fidelium elevatus est in cœlum: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et ante eos volitans,* (Deuter. XXXII). ut ad evolandum ex hoc mundo et corpore nostro nos invitaret. Hinc S. Bern. ser. II. de ascensione ait: *Quæramus quæ sursum sunt, quia illic profecto thesaurus noster Jesus Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi: in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* ad Coloss. II. Scimus ad sapientissimum Salomonem videndum et audiendum venisse e remotissima regione reginam Saba, III. Reg. X. scimus aliquos philosophos peragrassè longinqua terrarum spatia, ut sapientem aliquem insignem coram audirent: quis autem sapientior ipsa Dei sapientia, Christo? Moysis adhuc pueruli pulchritudinem ut spectarent Egypti, abjectis seriis negotiis abierunt qua ipse præteribat, teste Josepho, l. II. antiqu. c. V. Atqui in Christo glorioso tanta est pulchritudo, ut si omnium stellarum fulgor, omnium florum venustas, omnium gemmarum elegantia in unum confluerent, ad ipsum collata velut nix coram sole colliquescerent. Si virtutum splendor homines ad se trahit, veluti in S. Antonio, ut Alexandrini aliique longe positi in solitudinem ad ipsum spectandum abirent, et imperatores vel acceptis ab eo litterulis summe sibi gratularentur: in Christo Domino inhabitat omnis omnium virtutum plenitudo, gratia et decor. Si magnopere desideramus videre parentes nostros, multo tempore non visos, vel etiam insignes benefactores uti Otthonem imperatorem milites: S. Nicolaum civis ille ter ab eo injecta auri massa donatus: Christus Dominus est summus benefactor et parens noster, a quo omnia accepimus. Si denique eos, quos maxime amamus, ubi Jacob filium Josephum: si illum, qui e summo discrimine nos eripuit, uti Maximilianus I. imp. juvenem, cujus opera e præcipitio ereptus fuit: si inquam illos, quos summo desiderio noscere cupimus: quis major noster amator, quam Dei Filius, qui pro nobis animam suam posuit? *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsentis sæculo nequam,* inquit apost. ad Galat. I. Quid autem desiderabilius excogitari potest, quam hæc omnia adeoque totius divinitatis plenitudinem videre simul collecta in uno homine, nobis simili et fratre nostro Christo, nostri amatissimo.

Sed quid est auditores, quod nos miseri mortales, ad hanc ascensionem ex hoc mundi ergastulo tam frigide anhelemus? Imo plerique fere emigrare trepident ac refugiant? Nimirum quia miseras nostri carceris et exilii, patriæque nostræ felicitatem non expendimus, non co-

gnoscimus. Quemadmodum enim unus aliquis in silva carbonarius, fumoso in tugiolo habitans et a puero innatus, præfert illud suum antrum principum palatiis, quia hæc nunquam vidit: ita nos carceres nostros, quos incolimus, stellatis cœli regionibus miseri anteponimus, et nostras oblectatiunculas cœlestibus illis deliciis. Sic cœlum amittimus et terram non retinemus. At vero nonne ad fidem dictis habendam de cœlesti nostrâ patria, satis nobis esse deberent matris nostræ Ecclesiæ testimonia, quæ in tot millibus piis filiis suis eo aspirat semper, et modis omnibus contendit? Eorum alii infinito numero tradiderunt corpora sua tyrannis excarnificanda: alii relictis omnibus e mundo exierunt et eremos incoluerunt summa in paupertate et ærumna: alii innumeri monasteriis se incluserunt: alii seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Quid hæc omnia causavit nisi ardens desiderium cœlestis patriæ? Et gemit adhuc continuo Ecclesia, quod tam multi ejus filii præsentibus inescati, nihil de cœlo cogitent. Quam rem insigni parabola expressit S. Bern. in serm. de primordiis, mediis et novissimis nostris: « Quid hic, inquit, nisi labor, et dolor, et afflictio spiritus? Sed nunc ita contingit tibi ac si puer in carcere natus sit, et in carcere sit nutritus, et quia nunquam viderit lucem, miretur super tristitia et anxietate matris suæ. Illa enim scit unde doleat, et quia novit bona, graviora sunt ei mala, et recordatione pacis amaritudo ejus amarissima est. Tibi magna bona videntur minora mala, et præ majoribus compedibus, quibus assuetus es, minores annulos requiem putas. Comedere appetis, quia fames te cruciat. Utrumque labor est, sed quia fames gravior magis, comedere nescis esse laborem. Denique, postquam fames depulsa fuerit, vide si non gravius ducis comedere, quam esurire. Sic se habent universa sub sole. »

Hi sunt funiculi, qui si fortiter apprehendantur, evehere nos poterunt ad Christum, thesaurum nostrum, in cœlis repositum; præsertim si ad horum piam meditationem accedat fervens oratio, qualem adhibuit sponsa Canticoorum l. dicens: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Ubi S. Bern. serm. XXI. *Trahe, inquit, quodammodo invitam ut facias voluntariam; trahe torpentem, ut reddas currentem.*

CONCIO III.

CUR ASCENSIO CHRISTI DICATUR ADMIRABILIS.

- I. Quia triumphus tam gloriosus coram paucis exhibitus. — II. Quia ascendit ex monte Oliveti, a quo prius detractus fuit ad crucem. — III. Quia corpus Christi prius deformatum, nunc evectum